PARALLELISMVS MYRTI ET ECCLESIÆ,

Adornatus

à

M. CHRISTIANO KYFERTO
GOLTBERGENSI SILESIO

Zachariæ I. v. 8.

Vidi noctè, & ecce vir insidebat equo ruso, stabàtque inter myrteta, quæ in profundo erant, &c.

HEIDELBERGÆ,
TYPIS Johannis Lancelloti, *Academiæ Typogr.*

cIↃ IↃ c X.

199

FLORENTISSIMIS MUSARUM *ET* THEMIDOS ASSECLIS

NATALIUM CLARITATEM CONNUBIO VIRTUTIS ADAUGERE GESTIENTIBUS

SEBASTIANO à SCHWARTZ, IN SCHLOIN ET FURSTENAW, &c.

ET

NICOLAO à ZEDLITZ IN WILKAW, &c.

amicis meis honorandis S.

S*CITVM illud est, Nobilissimi Iuvenes, Empedoclis Philosophi veriverbium:* Ex amicitiâ constat mundus, & sese mutuâ quadam & concordi caritate complectitur. *Id quod præsentis consuetudo temporis multis retrò abhinc seculis observata abundè testatum facit. In novũ enim quemq; annum ingredientes, & mundum velut de integro renatum ex-*

cipientes, summum illud amicitiæ numen, quod omnem hanc rerũ universitatẽ tuetur ac cõservat, mutuis officiis conferẽdis, xeniolisq; ultro citroq; missitandis, velut sacrâ factâ libatione, auspicatò nobis placare cõtẽdimus. Quamobrẽ, pro cultâ hactenus inter nos amicitiâ & familiaritate, xeniolum hoc chartaceũ, MYRTVM inquam meam, ante annum ferè satam, & his diebus, quantum inter sævas hyemes licuit, excultam, Vobis, litteratâ pietate florẽtissimi Iuvenes, dicare & dedicare lubens volui, meritò debui.

Volui; quia utriusq; amœnissima humanitas id suasit, & constans in me, certisq; indiciis noviter declaratus, affectus penissimè persuasit.

Debui; sive pietatem vestram erga Deum, sive ardorem erga studia intueri libet.

Pietatis est, quòd doctrinæ cœlestis veritatem, quam rectè imbibistis, spectatâ vitæ integritate piè fovetis.

Ardoris erga studia illud est, quod generis splendorem illustraturi, suavem Musarum & Themidis coniunctionem summâ cũ laude & utilitate vestrâ adamatis: nihil morati hodiernum plurimorum & præposterum morem, qui in adyta huius penetrare, non patefacto per illas aditu, affectant.

Huc accedũt (ut Te iam seorsim, Nobilissime Sebastiane, compellem) parentis illius tui, at quantæ pietatis, eruditionis, & prudentiæ Viri, merita in me eximia,

Beneficium enim ab illo tuli, & iudicium.

Beneficium inquam tuli; dum ipsius potissimum auctoritate factum, ut in eorum numerum, qui, posthumâ & ad omne ævum prædicandâ Magnifici BERGERI munificentiâ, in Theologiæ castris militant, ego quoque cooptarer.

Quod autem institutioni præterea te meæ, unà cum Dyrhæis, in Gymnasio Aurimontano commisit; honorificum suum de me judicium ipso facto ostendit.

Hîc ego, cùm dignam ipsi gratiam redhostire nequeam: exiguũ grati animi τεκμήριον filio exhibendum duxi.

De

De te autem florentissime Zedlici, separatim quid dicam? qui cum amœnissimis sapè Philologiæ studiis te oblectes, non ingratā tibi esse patiére Myrtum hanc, è Plinii & aliorum flosculis adornatam.

Iungit itaque, ut videtis, Iuvenes præstantissimi, Dedicatio mea, quos amicitia dudum iunxit: nec charta dividit nobile illud par, quod sincera in Deum pietas, in Musas & Themiden ardor, in me par amor conglutinavit.

Agite verò coniunctis quoque animis & amicâ manu illam excipite: quam vel Pietas ipsa, & Musa cum Themide lætam gratulationem, vel Charites debitam gratiarum actionem, vel Amor adfectûs reciproci testificationem esse cupit, at quantulam! minorē certè pro istis oculis, istoq; animo vestro, &, ut ingenuè fatear, pro voto etiam meo.

Sed boni consulite in præsentiâ voluntatis promtitudinem, licet facultate maiore destitutam, & vestrorum sive exemplo illustri, sive hortatu gravi, in Pietatis, Musarumq;, & Themidos, ut feliciter cœpistis, studio & stadio alacriter constanterq; pergitote.

Sic enim futurum reor, ut olim meliores & doctiores domum reversi, totâ Silesiâ plaudente, audiatis

INTER MORTALES, PIETATE ET ERUDITIONE IMMORTALES NOBILES.

Valete, Schrishemij, Anno 1610. ipsis Kalendis Ianuarij, cum hoc voto, ut non quidem Ianus ille biceps aut bifrons, sed Christus ille θεάνθρωπος, qui unica salutis nostræ ianua est, anni ineuntis auspicium, totiusq; adeò vitæ vestræ curriculum vobis secundet, & omni vos bono hîc & in beatâ illâ vitâ beet.

Nobilit. V.

studiosissimus

M. CHRISTIANUS KYFERTUS.

PARALLELISMUS MYRTI ET ECCLESIÆ.

Philo lib. de plantatione Noe.

VATEM quemdam, cùm à Deo, post absolutam totius huius universi fabricam, interrogatus esset, nunquid in ea desideraret, nihil se requirere, præter illius præconem, respondisse Antiquorum fabulis proditum est.

Quo quidem lepido commento, si penitiùs introspiciatur, doctorum sententiâ, nihil significaverit aliud ingeniosa & sapiens Antiquitas, quàm oculis mortalium vastum hoc mundi ædificium, resq; in eo creatas eo subiici fine, ut externo rerum creatarum aspectu inducti Deum, & res spirituales mentibus rectiùs contemplentur, & ad potentiæ, sapientiæ, & bonitatis divinæ laudes excitentur. Itaque quod de artibus Plato, id de universis creaturis etiam minutissimis rectè dici posse videtur, gratam & honorificam de Deo famam in iis esse sparsam,

Præsentem ut referat qualibet herba Deum.

Atq; huc illud beati martyris Cypriani spectat, qui, *dum in arbores*, inquit, *& vites, quas videmus oblectante prospectu oculos amœnamus; animam simul & auditus instruit, & pascitur obtutus.*

Quorsum igitur hæc? Nempe ut intelligatur, non peccari

peccavi à me, neq; debere institutum hoc meum ullis sive lividorum cavillis, sive imperitorum fastidiis adhærescere; dum occasione à Zachariâ Prophetâ suppeditatâ præstantium virorum vestigiis insistens, MYRTI considerationem Ecclesiæ Christi picturæ, ad Dei gloriam, & nostram institutionem atq; consolationem accommodare conor:

Etenim ut rem certis articulis comprehendam, pingitur nobis hîc dulcissimè origo Ecclesiæ, & societas, quam ipsa cum Christo habet & singula ejus membra inter se. Figurantur item eiusdem nævi atq; maculæ: miserabilis sub cruce facies, & Dei in illâ protegendâ sollicitudo planè paterna. Deniq; velut in typo hîc intueri licet sanctitatis studium in piis, perseverantiam in fide, &, quæ eam in cœlo exceptura est, gloriam sempiternam, Quæ singula educere & diducere paullùm in libero hoc scriptionis campo mihi non injucundum, spectare vobis, lectores, ne quæso sit molestum.

Atq; ut rectâ MYRTUM perlustremus, duplex statim, sativa & sylvestris occurrit: illa frugifera, hæc sterilis est, Ecclesiamq;, qualis in hac vita sit, egregiè repræsentat.

Neq; enim frugiferum tantùm piorum, & ab omni impiorum & hypocritarum colluvie cœtum separatum reperies: sed subinde adiuncti erunt, qui vel in doctrinâ, vel in moribus exorbitant: nunquam ita fuit, vel erit purgata Ecclesia, quin inter lilium deprehendantur spinæ, lolium inter triticum. I. *Distinctio Myrti.* *Distinctio Ecclesiæ.*

Sed steriles istas myrtos mittamus: quæ quemadmodum ex quo semine fluxerint, factis ostendunt, sic pœnam factis dignam olim subibunt: fructuosarum verò ortum age diligentiùs iam videamus.

In eo enim spiritualis vitæ nostræ originem licet cognoscere.

Ortus Myrti. Myrti fructiferæ hominum manibus oportet conserantur. Et electis, suâ naturâ emortuis, spiritum vitamque Iesus Christus, vitæ lignum, florentissimus ille Davidis surculus benignè indulgeat necessum est. Inde Ecclesiæ initia: inde novi hominis primordia.

Ortus Ecclesiæ. Cuius quidem ortûs præstãtia ut patescat clarius; turpitudinis, quæ antecessit, & fœditatis nostræ naturalis fons ille amarus & mortifer priùs nobis est indagandus.

Respiciamus igitur fontem, non illum in fortunatis insulis, quem gustans, risu in mortem solvitur, recitante Melâ, non illum in Chio insula, ex quo qui biberint, hebetes fieri ingenio, Plinius annotavit, non illum qui in Bæotiâ oblivionem inducit, aut qui in agro Calano insaniam adfert, non amnem Lyncestium,

Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset,

observante Senecâ: sed illum MORTALITATIS nostræ fontem primum, aquam illam amarissimam, quam dum singuli bibimus, in mœrorem & dolorem, in timorem & errorem, in mortem ipsam etiam nascendo resolvimur. Quid moror? Adamus primus noster parẽs nominandus est, qui turpissimâ sua inobedientia, aquam illam purissimam turbavit, & amaram effecit. Inde enim inundatio quasi quædam malorum in prolem nepotemque ivit: inde corporis animæque πανωλεθρία certò expectanda omnibus erat.

Sed ô bonitatem Dei inauditam! ô amorem singularem! Christus enim ramus ille virescens, dulcissimum illud lignum est, quod jussu Dei in aquas illas amaras à Mose conjectum, amaritiem omnem, in dulcorem convertit, & ex morte in vitam nos restituit. *Exod. 15. 23.*

III. Id quod præterea arctissima myrti & oleæ à scriptoribus

ribus notata conjunctio adumbrat. Mutuo namq; complexu radicum illas degere ajunt, virgasq; myrti per brachia oleæ prorepere atq; diſpergi, & fructum oleæ protectum, ut nullam vim Solis flatuſve pateretur, tenerum ac dulcem evadere: deniq; aliud non eſſe, quod ſeri juxta oleam velit.

Ad eundem igitur modum benedicta illa olea, Chriſtus, ne à Deo ſeparati vitam amitteremus, nos ſibi, & ſeſe nobis inſerere amavit. *Coniunctio Chriſti & Eccleſiæ reſpectu.*

Etenim æternus Dei cùm eſſet Filius, ſplendor gloriæ & character perſonæ ejus, non erubuit, *ut Apoſtolicâ voce loquar*, naturâ noſtrâ verâ & integrâ in unitatem perſonæ adſumtâ, & indiſſolubili vinculo ſibi unitâ, frater noſter fieri, per omnia, excepto peccato, nobis ſimilis. *1. ſubſtantiæ.* *Hebr. 2. 14.* *v. 17.*

Atque hinc profectò ineffabilis Servatoris noſtri *φιλανθρωπία*, noſtraq; dignitas perſpicitur, & fons vivæ conſolationis aperitur. Quem utinam non obſtructum eant, qui humanam Chriſti naturam proprietatibus eſſentialibus à noſtrâ differre, id eſt, omnipræſentem, omnipotentem, omniſciam eſſe fingunt; cùm noſtram contrâ finitam, certiſq; potentiæ & ſcientiæ limitibus ſciant terminatam. Infinitum enim quis ignorat & finitum toto, quod ajunt, genere differre, nec poſſe eſſentiæ, (liceat ſic loqui) identitatem unquam habere. Dona quæ illi obtendunt *ὑπερφυσικὰ* & ipſi admiramur, *ἀντιφυσικὰ* nulla agnoſcit Scriptura.

Sed valeant iſti homines, & ſibi ſacriſq; litteris, quantum lubet, contradicant: de iſtâ nos eſſentiæ humanæ inter Chriſtum & fideles perpetuâ & indiſſolubili unione lætemur: præſertim cum inde Officii quoque ad nos, beneficiorumq; illius promânet *κοινωνία*. *2. Officij triplicis.*

Propheta igitur, ſacerdos, & Rex à Deo Patre, oleo

Spiritus Sancti unctus est Christus? ejusdem & nos unctionis, proportione tamen capitis membrorumq; obseruatâ, participes facti sumus.

Etenim ut cœlestis doctoris munere, tùm Patris sui voluntatem revelando, tùm electos foris quidem per ministerium, intus verò per Spiritum Sanctum docendo Christus defunctus in terra est: ita Christo fide coniunctus, verè Deum eiusq; voluntatem in verbo patefactum agnoscit, amplectitur, & fideliter constanterq; profitetur.

Sed & sacerdotem agit idem pius. Sacrificia enim offert Deo. at quæ? seipsum scilicet, veterem mortificando hominem, & membra sua iustitiæ arma Deo sistendo.

Neque hoc solùm: sed vitulos quoque labiorum immolat, laudes nempe Deo dignas & gratiarum actiones.

Quod si eumdem quasi in illustri solio regem contemplari placet, ecce in hac vita fide invictus, Diabolum, peccatum, mundum, & omnes hostes suos terrebit, territos fugabit, fugatos prosternet: at illic demum insigni gloriâ exornatus, regnum in omnes res creatas obtinebit, Christoq; in impiis damnandis, decretorio illo die, atrum calculum adiiciet.

Quid quæritur adhuc? quid desideratur?

Nos sumus genus electum, nos regale sumus sacerdotium, nos gens sancta, nos populus ille, quem Deus sibi proprium vindicavit. Nostra est reconciliatio cum Deo, nostra redemtio, nostra justificatio, nostra sanctificatio, vita denique & salus illa per Christum sempiterna.

Eja igitur gratulare tibi, ô Ecclesia, de isto tàm præclaro capite Christo, quantum potes, voce animoq; exalta.

Tu

Tu verò tricipitis Cerberi caput, qua te audacia ecclesiæ iactas caput? quid superbis? quid effers? Non recipit istam coniunctionem Myrtus sacra, aspernatur, repellit.

Nimirum quod Mithridati Regi; idem hac in parte Pontifici Romano videmus evenire. Ut enim ille, Plinio teste, circa Bosphorum Cimmerium in Panticapæo urbe Myrtum habere sacrorum causa, sed frustra laboravit: ita hic magno quidem, sed vano conatu cum Esavi fraterculis sacram nostram Myrtum, Christi cognitione & cultu clarissimam, in Cimmerias regni sui tenebras serere & transferre affectat. *Plinius lib. 16.c.32.*

Etenim quò vehementiore amore Christum ecclesia complectitur, eò studiosiùs hostis infensissimi refugit consortium.

Id quod David ille Rex oculo non sensûs obscuro, sed puro illo claroq; prophetiæ quia vidit, profitetur ille apertas & perpetuas cum Dei hostibus inimicitias, istudque cecinit posteris, non ad auris inanem titillationem, sed ad salutarem mentis nostræ institutionẽ, illis verbis?

Nonne qui te oderunt, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. *Ps. 139. v. 21.22.*

Odium hoc Prophetæ in hostes Dei tam vehemens erat, sic affectum, tam penitùs insitum, vt putârit vir sanctus Zeli cœliq; plenus, se complicatam mentis suæ notionem nõ satis distinctè expressisse, nisi illud suum odium, non interrogationis solùm amentatâ quasi hastâ, sed alio modo variè explicaret.

Oderam, inquit, illos: tantumne? odio oderam, quò? vehementi illo & perfecto. Satisne? ita vt odio hoc tanquam Zelo implicitus totus contabuerim, neq;

prius conquieverim, quàm illorum inimicitias aduersum me in lucem protraxissem. Hæc Davidis vox est, uno piorum omnium calculo comprobata.

4. Coniunctio myrtorum & olivarum. Arctissima igitur, ut apparet, oleæ illi cœlesti cum Myrto intercedit unio: sed non minor inde membrorum & mutua familiaritas resultat: quam myrti & olivæ, pacis & caritatis in sacris Ethnicorum bina symbola, egregiè ostendunt.

Stuckius descriptione sacrorū & sacrificiorum gētilium. *Communio sanctorum inter sese.* Ut namq; hæ mutuâ, ut ita dicam, societate gaudent: ita sancti amicissimâ inprimis animorum conjunctione mirificè delectantur, FIDEI & germanæ CARITATIS arctissimo semper vinculo connexi. Terram caritatis intimo implent adfectu, flagranti veræ fidei ardore cœlum. Fides contrarias de rebus necessariis opiniones ex animis tollit: caritas omnes voluntatum removet dissensiones. Fides, quid omnes sanctos conveniat sentire, demonstrat: caritas ad ea eligenda, quæ amari debent, mentes accendit. Fides conspiratione sententiarum mentes coniungit: caritas amoris mutui nexu sanctorum affectus colligat, ut dona etiam diuersa ac disparia ad suavissimam quandam harmoniam optimè reducere nôrint.

O grata verò & amabilis, summeque necessaria piorum conjunctio, fide animata, & amoris calore temperata! Quam malè rumpunt, qui matris à filiâ separationem molientes, magnificè fidem iactant, caritatem verò, viventibus & regnantibus odio, invidiâ, inimicitiis & contentionibus, frigore congelascere, immò in animis penitùs intermori patiuntur, ipsiq; hac ratione in mortuorum fastos vivi relati, ingenti Ecclesiam totam dolore afficiunt, & modò non conficiunt.

5. Myrtus Itaq; quod frigore quàm facillimè lædi myrtum dicunt,

cunt, nihil aliud declarat, quàm quod refrigescente hominũ caritate gravissimè Ecclesia affligitur, periculoseq; laborat. Quãquã ita laborat, ut in vivis Christi membris sancti amoris flamma non planè extinguatur, sed vehementiùs sæpè, à Sancto Spiritu accensa, inardescat.

frigore læditur.

Ecclesia refrigescente caritate dolet.

Sed nescio quomodò vela huic laxârit scriptioni, provexeritq; longiùs jucundæ vnionis Christi cum ecclesia, membrisq; inter sese, contemplatio.

Age verò (progrediendum enim) quid nigricans, qui myrto inest color, depingit? quid notat? Videre certè videor non solùm primigeniâ maculâ aspersæ, sed crucis etiam sole denigratæ ecclesiæ imaginem, & expressionem veram pulchrè effictam. Ita namq; habet: labem illam à primis parentibus aspersam nũquam omninò in huius vitæ usurâ deponent Sancti, semperq; æstu crucis terrefacti apparebunt.

6. Adjũcta myrti nigredo.

Adjuncta Ecclesiæ labes primigenia, & crux.

Quàre non parvo in errore versantur, qui omni ex parte candidam, semperq; floridam in his terris ecclesiam apud animos suos imaginantur.

Nam quod sanctam, & maculæ, rugæve expertem prædicat ecclesiam Apostolus, non ita accipi debet, quasi vel impressam ab Adamo vitiositatem neget, vel eam, quæ in ipsis dictis, factis exprimitur, pravitatem affirmet sublatam.

Quid ergò? partim ecclesiæ faciem cum mundi huius sordibus contendit, partim justitiæ Christi veste indutam exhibet, partim inchoatæ in terrâ, perficiendæ verò in cœlo integritatis decóre exornatam ostentat. Quod si verò detractis hisce, sepositisq;, in se ipsam cõsideres, verè deformem, atroq; colore obfuscatam intuebere myrtum.

Iam quomodò secundo loco crucis persecutionisq;

ctũ delectari, litteratum monumentis traditũ est. 7
namq; ratione æstu crucis torrefacta & perterre- *Myrtus amat umbras*
illa, ad quam se recipiat, umbram longè gratissi- *Deus umbra*
mam habet. *ecclesiæ est in*

Quâ ipsâ Regum præstantissimus David, & Prophe- *crucis æstu.*
tarum sanctissimus Esaias mirificè recreati fuêre. Ille Dei
in latibulo, inque umbra omnipotentis habitationem *Ps. 91.v.1.*
commodè locatam fixamq; statuit: hic prostratam ere- *Es. 51.16.*
cturus ecclesiam, sub umbra manus Dei benè tectam atque protectam fore confirmat.

Ubi verò, quærent hîc nonnulli, Sol ille claritatis ecclesiæ? ubi splendor? ubi corona gloriæ? Proh dolor! quã sæpè óccidit Sol, obscuratur splendor, retrahitur lumen, & quæ imposita videtur corona, concidit! Nonne, inquient, quiritantem passim hac de re audis ecclesiam?

Audio; sed velim illi simplex & apertũ meũ responsum.

Neque enim inficias ibo, à potentibus adversariis, hujusq; seculi filiis & principibus, qui vertice cœlum, quod dicitur, tangunt, persæpè illam premi, sed penitùs opprimi posse nego, quin caput iterum

Tollat humo, victrixq;, hoste inspectante, triumphet.

Atque hîc & malignantium & veræ ecclesiæ cogitanti conditionem, duæ illæ sacræ myrti in urbe Romana, una patritia, plebeja altera, commodè occurrunt: quarum illa Antichristi colluviem, hæc Christi Ecclesiam non invenustè depingit.

Patritia (Plinii verbis elegantissimis libẽter utor) multis annis prævaluit, flaccescente plebejâ: exuberans ac læta, quamdiu senatus quoque floruit, illa vigẽs, plebeja retorrida ac squallida. Quæ postquam evaluit, flaccescente patritiâ, languida auctoritas patrum facta est, ac paullatim in sterilitatem emarcuit majestas.

Esto itaque: & Pontificia prævaleat interdum m... crescat, lætetur, floreat: Orthodoxa contrà pressa su... bat, minuatur, doleat, flaccescat. Erit profectò erit ... ptata dies, ubi illa retorrida & squallente, hæc iterū ge... minet ac floreat, & umbra Dei recreata, in caligine omni clarissimam semper lucem, inque ambagine ducem habeat rectissimum. Quod ut illi perpetuum sit, eò crebriùs suspiria & vota repetere par est Dn. Philippi Melāchthonis, florentissimæ memoriæ Viri, digni profectò omnium bonorum amore, & malorum odio:

Te maneat semper servante Ecclesia, Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.
Tres velut in flammâ testes Babylonide servas,
Rex ubi præsentem te videt esse Deum.

Cujus quidem divinæ protectionis spe certissima freta Ecclesia, debito vicissim veræ sanctitatis studio flagrat: quod hos iterum præclara myrti indoles edocet. Etenim quò exactiùs, Theophrasto teste, inutilia amputaris, eò lætiùs illa germinat, fructusq; copiosiores producit.

8. Myrtus amputāda.

Ecclesia sanctitati studendū est.

Quantopere verò hîc sanctorum laudanda pietas, & grati animi deprædicandus ardor, qui, cùm Deum puritati nôrint amicum, fœditati inimicum, in id sedulò incumbunt, animos suos ut circumcidant, aures præsecent, labia purificent, terrenisque, pro virili, abnegatis cupiditatibus carnem suam mortificent.

Quod ut Deo gloriosum: ita ipsis apprimè est necessarium.

9. Myrto cortex detrahi non debet.

Myrto corticem si detrahas, perit.

Ecclesia sanctitatis veste retinet

Iridem electi nuptialem illam sanctificationis vestem neutiquam deponunt, præsertim cum absque illa Deum videre, id est, æternùm vivere se posse negent.

Atq; hinc nimirum, amputatis vitiis, odoratissimam in Ægy-

...pto myrtum imitati, bonorum operum miram quandam & singularem exhalant suavitatem. 10. *Myrtus odora.*

Agite itaq; unum atq; alterum naribus oculisque propiùs admoveamus. *Pii bonorum operum odore repleni.*

Quis verò exhalans ille odor? quis penetrans in cœlũ piarum precum spiritus? Preces Tobiæ ad Deum, Angelo nuncio, pervenêre: Cornelii oratio in memoria, in conspectu Dei ascendit. *Suntq; inprimus. Precatio.*

Magnum hoc: majus, quod mireris, audi. Ipsum Deũ Moses oratione sua cœlo pertrahit, divinas preces elicit, dum populi Judaici amore accensus, deleri se è libro vitæ velle contendit.

Sic n. non minus scitè quàm piè Rupertus Tuitiensis: Maiestas divina cœlo terraque tremenda, videtur ad intercessionem Mosis de solio suo surgere, & vulnerato corde accedere, ac rogare amicum quasi discedentem, ne se deserat, & dicentem ei: Ego ostendam tibi omne bonum meum.

Egregius verò precationis ardentis odor: at nõ minor est beneficentiæ erga miseros & inopes: quæ divinitatis æmula benignissimam Dei optimi naturam quàm proximè attingit. *Beneficẽtia.*

Hinc Paullo præcone, ὀσμὴ audit εὐωδίας καὶ θυσία δεκτὴ, καὶ εὐάρεστος τῷ θεῷ. Hinc, eodem hortatore, beneficentiæ memoria nunquam ex animis nostris deponenda est. Hinc esurientes, pauperes, nudos curæ cordique nostro committit Esaias Propheta: dum esurientibus panem distribui, pauperes eiectos domum introduci, nudos tegi à nobis seriò vult. *Philip. 4.* *Hebr. ult.*

Ite igitur, ite omnes Arabum odores: sordent tametsi exquisiti & ambitiosè conquisiti ex ture, ex costo, ex cinnamomo, ex myrrha, ex casia, ex stacte, & aliis id generis,

suffitus vestri: spiritualia precationis & beneficenti[illegible]

11. *Myrti humiles sunt.* Christiani offerunt, thymiamata in cœlum usque p[illegible] trant: sed Te, (ut humiles etiam myrtos tangam) ô Humilitas, ductrice. Quæ à Christo verbis comm[illegible]data & demandata, ipsis factis per omnem vitam studiosè exculta, reliquas inter virtutes velut stella matutina prælu-ces.

Sancti humilitati student. Christo Magistro. Possem iam Patriachas, Prophetas, & Apostolos laudare, qui omnes in eodem ludo edocti, de humilitatis inter se palma egregiè concertarunt.

Nemo enim unquam hac Divâ præeunte ad eum accessit, quin Gratiâ & Misericordia comitibus ab eodem recesserit. Sed plena exemplis perspicuis est sacra pagina: quæ imitatione potius nostra omnium exprimi, quã prolixè hîc à me commemorari debent, aut possunt.

12. *Adjunctũ tempus odora myrti.* Jam enim ad tempus ut accedam, quo myrti præcipuũ de se odorem spargere dicuntur, ipsum me tempus devocat.

At quodnam illud? squallentem Theophrastus horridumq; designat annum, quo myrti εὐωδία perfrui licitũ.

Adjunctũ tẽpus, quãdo ecclesia virtutum de se odorẽ spargit. Nónne verò & nos fragrantiam virtutum Christianarum odoramur, quarum decus in ærumnis lucet, quæ in tentationibus triumphant, in bonorum terrenorum amissione, corporum doloribus, crudelitateque hostium crescunt.

tomo 1. in vita Malchi. Ac verè hoc dixisse videtur Hieronymus, ecclesiam Christianam sub tyrannorum persecutionibus auctam, martyriisque coronatam floruisse, ad Christianos verò principes ubi pervenit, pacis tranquillitate vigente, lapsam paullatim esse, & deliciis divitiisque, & sacerdotum avaritia atq; ambitione corruptam, præcipitem viam institisse vitiorum.

Quem-

Quemadmodum enim Herculem eleganter Poetæ fingunt objectis ab iratâ Junone periculis animo crevisse atq; induruisse: pari ratione adversitatum procellis Christiani non solùm pejores non fiunt, sed etiam evadunt meliores.

Verte mihi paullùm oculos ad illum fidelium patrem Abrahamum: cuius viri quis in promissiones divinas nosset fiduciam, quis obediendi promptitudinem collaudaret, nisi in campum illas gravissima Dei poduxisset tentatio.

Ecce enim, dum cor paternum Abrahami acerbè tãgit Deus: Abrahamus contrà, veritate promissionum suffultus, arctè Deum prehensum tenet. Ille fidei & obediẽtiæ Abrahamicæ spectaturus erat constantiam: hic contrà pollicitationis factæ adimpletionem certâ fiducia exspectat. Adeò triumphat tentatione superata fortissimus ille heros, factus & seipso fortior, & creatore suo quodammodo superior!

Tolerantiæ verò clarissimum speculum Jobum contemplari si placet, liberorumq; miserabilem amissionem, fortunasq; afflictas dolebis, ulceribus fœtidissimis corpus corruptum videbis, uxoris, quæ omnis miseriæ dulce levamen esse debebat, amaris sarcasmis, amicorumq; disputationibus, pii viri animum penè confectum senties. Et inter hæc tamen æquo animo exclamat: Esto nomen Domini laudatum.

Nam quid de Davide illo dicam? cuius excellẽs virtus, præclaræ animi dotes, laudesq; meritissimæ, eodem tumulo, qui terrestribus debetur exuviis, sepultæ iacerent, nisi illum & Saulis vexationes, & Absolonis filii nefaria impietas, & Simei subditi maledicta exercuissent.

Ac ne singularia tantùm consecter exempla, lemnisca-

tas illas in Gallia Belgio, Anglia, Hispania persecutiones pervideamus, Martyrologia evolvamus; luce profectò meridiana clariùs patebit, quò veritatis hostes crudeliores fuêre, eò alacriori Martyres & constãtiori animo rogos conscendisse, gladiis iugulum præbuisse, omnisq; generis atrocissimos pro veritate cruciatûs pertulisse.

Digna cedro est Severi Sulpitii vox:

Nunquam maiore triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus.

De famosa illa decem annorum persecutione loquitur, qua omnis ferè sacro martyrum cruore orbis est infectus.

12. *Adjuncta ἀειφυλλία myrti.* Verùm ad myrtum nostram redeamus, quæ perpetua fronde pubescens, folia nunquã amittere sua perhibetur.

Adjuncta perseverantia sanctorũ. Quid? annon hæc ipsa foliorum ἀειφυλλία quasi digito intenso, electorum in fide salvifica, & gratia Dei perseverantiam luculentè commonstrat?

13. *Adjuncta myrtorum fragilitas.* Sanè vt myrti fragiles tenuesq; sunt rami: ita illi uti naturali suâ considerati imbecillitate, millies gratiam Dei amittere, & salute excidere suá possunt.

Adjuncta infirmitas naturalis sanctorum. Verum enim verò, quod probè animis nostris infigendum, non voluntatis arbitriisq; humani opus est perseverantia, sed Dei gratiosum donum, neque in nostrarum virium ἀσθενείᾳ, sed in Dei potentissimi manu sita salutis ratio totius est.

Deus enim ille cadentes nos erigit, periclitantes tuetur, quos semel ab æterno dilexit, vsque in finem diligit. & ut ἐμφατικωτέρως loquitur D. Petrus, virtutis suæ præsidio per fidem nos ad salutem custodit.

Tametsi igitur humana omnia lubrica, & lapsui sint vicina, ut maximè etiam caro, mundus, & ille usu callidissimus, astu nocentissimus, arte fallacissimus fidelium hostis

ſtis, omnes vias explorent, omnem vim & dolum expliceent, & in ſalutis noſtræ arcem, velut agmine facto, irruant, præſidio illa Opt. Max Dei circumvallata ſtabit atque triumphabit. Ut in comparatione difficile jam videatur ad judicandum, utrum plus hominis ſibi derelicti deploremus imbecillitatem, an à Deo ſuſtentati firmitatem deprædicemus.

Sanè certitudinis hujus teſtimonia numero plura, luce ſuâ clara, pondere grauiſſima, auctoritate ſua longè firmiſſima, è ſacro Codice proferre haberem; ſi vel ignota illa piis mentibus, vel apud maleꝗ feriatos, & male conciliatos aliquid putarem effectura.

Per Paullum tamen cœlo teſtem ἀξιοπιστάτον aduocare placet.

Oſtende itaque beate Paulle, Sancti Spiritus afflatu oſtende ſalutis noſtræ firmitatem.

Quis intentabit, inquit, crimina adverſus electos Dei? quis eſt, qui condemnet? quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? num oppreſſio, num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius?

Nemine exſurgente, qui intentare, qui condemnare, qui ſeparare tentet, dic, tuæ aſſertionis, & noſtræ ſalutis immotæ cauſam.

Deus is eſt, qui iuſtificat: Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt, immò verò, qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, qui etiam poſtulat pro nobis.

O divine Paulle, quàm ad conſolationem noſtram efficaciter, quàm ſuaviter loqueris! Conclude nunc etiam. Operæ precium audire, qua animi πληροφορία, quàm ſancta confidentia id faciat.

Neque enim contentus de ſeculi huius rebus magnis

ficum antè triumphum egisse sed supergressus cœlu & cœlum cœlorum, Angelos etiam & Archangelos lacessit, quin omnia superiora circumcurrens, tum comprehendēs simul præsentia futura, ea quæ videri, ea quæ cogitari possunt, ac ne sic quidem satiatus, aliam talem ac tantam creaturam supponit. Quid igitur tandem ait?

Persuasum est mihi, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque Principatus, neque potestates, neque instantia, neq; futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam posse nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Ecquid iam dubitationis inesse menti cuiusquam: immò verò quid nisi lætitia inesse pio pectori queat, & incredibile quoddam desiderium futuræ gloriæ & beatitudinis Ecclesiæ? quam (ut colophonem tractatiunculæ huic imponam) priscus myrti usus, tùm apud gentiles in sacris, tùm Iudæos in festis frequentatus aliquo modo adumbrat.

Usus myrti apud gentiles & Iudaos.

Nam illi ex arborum frondibus, ramis, & foliis, myrto inprimis coronas confecêre, iisq; Duces clarissimos, pro periculis, quæ strenuè subiissent, pro victoriis, quas gloriosè sua peperissent virtute, exornarunt.

Struckius p. 159.

Hi verò, Judæos dico, ejusdem myrti ramis ædes ac vestibula sua in scenopegiorum solennitate inumbrârunt.

At quis, quæso, decor erit sanctorum! quæ & quanta, in beata illa regione, eos manebūt νικητήρια! cùm devictis hostibus coronam illam ἄφθαρτον, ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον Christi Servatoris manu impositam intuebuntur.

Gloria ecclesiæ.

Incedat sanè triūphans in consulatu de Sabinis Posthumius Tubertus, myrto Veneris (quam victricem falsò putavit) coronatus: Papyrius Masso, qui primus in monte Albano de Corsis triumphavit, eadem ornatus myrto, ludos

Plin. lib. 15. c. 29.